



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.  
Libri Qvinqve**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

I. Ortus, & ingenium Ignatij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**



# LIBER PRIMVS LIBRI SYNOPSIS.

*Ignatij ortus. Ingenium. Vita in sæculo. Vulnus in bello, & secuta ex eo ad Deum Conuersio. Manresanæ commorationis asperitas, singularibus à Deo repensâ donis. Exercitiorum liber ibidem compositus. Peregrinatio ad sacra Palestinæ loca. Studia literarum, piis erga proximum mixta laboribus. Variæ inter hæc Compluti, Barcinonæ, Salmantice, Parisis impugnationes.*

**A**NTABRIA veteris partem illam quæ Guipuscoa dicitur, Pyrenaos inter, & Cantabros; ad Septentriones mari obiacentem, Balda, & Ognes familiae illustrarunt; notissima vtrage, generis claritate, antiquitate, ac numero. Suam longo ab æuo ditionem vtraque tenuit, primariis aucta præfecturis, bello ac literis insignes per totam Auorum seriem plurimos censuit. Ognesia ex gente Loyolæ Domini prodiere; ex his Bertramus; Ognes, & Loyolæ toparcha, per natu maiores familiae caput, vnde decim parens liberorum; quos de Marina Saezia Balda tulit, feminas tres, & octo masculos. Horum ultimus in hanc lucem venit Ignatius, anno Christi ante sesquimillesimum nono, Innocentio octauo Pontifice, Federico tertio Imperante. Hunc præter indolem ortu suo dignam, excelsus quidam tollebat animus, in quo cuncta cerneret eminere, quibus adolescentes nobiles spem sui faciunt. Erecta illi mens, & capax, impetus ad quæuis ardua, par gloriæ ardor, & genius ad omnem militiæ cuiusvis meditationem. Comitas verò tanta & affabilitas ut mira sibi popularitate omnes adstringeret. Quare hunc velut aulæ natum ei destinat parens, & quod aliud ætas, adhuc mollior, non ferret Castellæ regi Ferdinando honorarium in ephebum tradit. Verum longè aliis intentum numen dum Ignatium formaret, has naturæ tot dotes, iam eò retulerat, ut nobilioribus gratiæ studiis ancillarentur aliquando, & melioribus quam aut cuperet pater, aut ipsi tunc iuueni saperent. *Quod enim postea Ignatius dictabat, expertus ipse est, quos fuerat naturæ bonitas ad ampliam fortunam in sæculo prouectura, hos*

*I.  
Ortus, & ingenium Ignatij.*

A quoque

## De Vita & Instituto

quoque in Dei gloria strenue proferenda successus habere vberimos. Robur enim illud inuicti pectoris quo ne vita quidem periculo territus, per acerbissimos dolores, gloriola ante meruerat; in patientiam verit affligendi alacriter, & implacabiliter corporis; excelsitatem cogitationum, & animi, quicquid esset vulgare dignatam, integrè retulit ad amplificandam diuinam gloriam; proclive illud ad arma, & bellica, totum incubuit ad conscribendam militiae nomine, ordinandamque societatem nouam, cuius vnum opus, ac studium foret, orthodoxam fidem & auctoritatem Ecclesiae tueri, latiusque in dies propagare.

### II.

#### Autorum

nomina (quorum nemo ex societate) qui scribunt Ignatium ejusque Ordinem, heresibus nostrorum temporum dissidentibus oppositi. Et Indorum conuersioni destinatum Greg. XV. Vrbani. VIII. Pius IV. Breui ad Philip. II. an. 1561. Pius V. ad Episc. Colon. 1568. Card. Ludouijus Monti. Alanus Ro. Rota audit. Consil. Terracon. 1602. Geneb. Stond. Torn. Ioan. du Perron. Petrus Matth. Marcellus Pisan. capue. Flor. Raymond. Falbius. Ref. Dupleix. Surius Payna, Rodr. tom. 1. qq. reg. Ste. nartius Maurolicus Sandus Ep. Pamphil. & alij complures.

Atque hic iuvat memorare, inter cætera Ignatij decora, singulare hoc, ipsique proprium, & ab summis quâ Pontificibus, & Præsilibus; quâ huius, & superioris æui Scriptoribus plurimis illi attributum, quod ex militia seculi eius belli ductor cœlitus lectus est, quo ad præsidium, vexata; ad defensionem, laborans Dei Ecclesia, esset magnopere usura. In calamitoso videlicet Henrici per Angliam schismate, in Lutheri desertione per Germaniam; in rebellione Caluini per Galliam; in extendendis per Castellæ, & Lusitanias Indias religionis vera limitibus, quos per Europam haeresis impie arctarat. Fuitque hoc Deo ab ortu Ecclesiae solenne, ut effusis in campum, haeresum ducibus, apostatis, tyrannis, propugnatores opponeret, nunc quidem singulos, nunc in turmas digestos, ad hoc peculiari prouidentia euocatas. Sic olim Athanasium Arrio; Basilium Eunomio; Iuliano Gregorium cognomento Theologum; Nestorio Cyriillum; Hieronymum, & Augustinum Eluidio, & Pelagio; ante annos demum quadringentos Albigensum furor, & grassantibus latè hominum vitiis, sanctissimorum Francisci, & Dominici Patriarcharum familias geminas. Et certe dignum obseruatione Ignatij ortus, conuersio ad Deum, & conscriptæ ab eo Societatis instruacio, publicis Ecclesiae necessitatibus quam opportune occurrint: quo enim anno Ferdinandus Castellæ rex cum Christophoro Columbo de nauigatione decernebat quam hic nouum in orbem ab se primum reperitum instituit; eodem Ignatium Deus huic mundo dedit, ut barbararum tot gentium eruderatio, & in Christo cultus, eius tūm operæ pretium, tūm filiorum labor foret. Sexto vero post anno Orientem versus Vasco Gama in detectas ab se Indias nauigauit, quo item Xauerius nascitur, hoc est, 1497. Inde post quatuor, & viginti annos Martinus Lutherus Vormatiæ, effrontem coram Carolo quinto apostasiam professus, & desperatam emendationem Vatbergæ se abdidit, ubi nouus Ioannes, nouæ Patmos iactator ridiculus, præsentis veneni contra religiosa vota librum scripsit, qui pestifera sui lectione, brevi cenobia in solitudinem mutauit; è contrario hunc ipsum in annum cecidit humanis ex rebus Ignatij fuga, votumque Deo militandi, ex quo receptis post curatum vulnus corporis viribus Manresa secessit, ubi clara in luce æternæ veritatis libellum compositum Spiritualium Exercitorum, cuius, ut dicetur, mirabili ductu & suam ipse sacram familiam collegit, & reliquas mirifice auxit. Vnâ Ignatius, & Caluinus Parisis agebant; vnâ discipulos, & sequaces, quā diuersi diuersos legebant. Illic Fabrum sibi finxit Ignatius, qui vita & doctrina sua malleo (verba sunt Florimondi Raymondi) heresim fortiter obtrinit. Ibidem Caluinus,

ai